DISSERTATIO INAUGURALIS DE AQUÆ FRIGIDÆ USO EXTERNO

Guglielmo Sage

Dissertatio Inauguralis

DE

AQUÆ FRIGIDÆ USU EXTERNO

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NECNON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. FRANCISCO FLARER

Therapiae et Clinices Oculariae P. O.

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Martii anno MDCCCXLIII.

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

Wilhelmus Nagel

MORAVUS SCHAFFENSIS.

TICINI REGII

Ex Typis Fusi et Socii.

Der erhabenste Beruf des Menischen nach dem Gottesdienste bleibt doch der… Priester der heiligen Flamme des Lebens, und Verwalter der höchsten Gaben Gottes und der geheimsten Kräfte der Natur für das Menschengeschlecht zu seyn — das heisst — Arzt zu seyn.

HUFELAND.

604

SEINER HOCHWOHLGEBOREN

dem

Hochgeehrtesten Herrn Herrn

JOHANN STELLWAG

Edlen von Carion

Sr. k. k. apostol. Majestät wirklichem Gubernialrathe und Kreishauptmanne, hochherzigen Beförderer der Künste und Wissenschaften

in

Znaim

als schwachen Beweis
meiner unbegränzten Verehrung
in aller Hochochtung
gewidmet

vom

Verfasser.

Euer Hochwohlgeboren!

Schon frühzeitig beim Betreten der Bahn zur Medizin als ich in allen k. k. Universitäten der Monarchie meine Studien vollzog, keimte der Wunsch in meinem Innern, einen würdigen Menschenfreund, einen vorurtheilsfreydenkenden Mann in meinem Vaterlande aufzufinden, dem ich meine Hochachtung und innigste Verehrung durch Widmung dieser meiner Inaugural=Dissertation, an Tag legen dürfte.

Wie erhoben fühle ich mich nun bei meinem nach so vielen überstandenen Stürmen und Kämpfen des Lebens erlangtem Ziele, meinen innigsten Wunsch erfüllt zu sehen!

Am 21. Weinmond's war mir das hohe Vergnügen zu Theil vor Euer HOCHEDELGEBOREN treten und meine Bitte der Widmung wegen äussern zu dürfen: da ward über die Annahme und Ausarbeitung des Thema in wenigen Worten von HOCHDERSELBEN ein entschiedenes Urtheil gefällt.

Jezt wird mir auch klar der Grund warum alle Bewohner so manigfaltiger Confessionen des ganzen Znaimer = Kreises einstümmig für das Heil EUER HOCHWOHLGEBOREN ihre Gebethe zum Schöpfer erheben, weil Euer Hochwohlgeboren Allen da Lebenden ohne Unterschied — stets trostreich begegnen, huldreiche Wohlthaten und Gnaden spenden!

HOCHDIESELBEN hatten die Gnade, mir zu erlauben diesem meinem ersten schrifstellerischen Versuch HOCH — IHREN NAMEN voransetzen zu dürfen; indem ich dafür meinen gefühlten Dank ausspreche, bitte ich dieser Arbeit huldreiche Nachsicht angedeihen lassen zu wollen

EUER HOCHWOHLGEBOREN

ergebenster
WILHELM SAGEL.

Pavia im März 1843.

USUS AQUÆ FRIGIDÆ EXTERNUS.

Externa aquae frigidae adplicatio frequentius ac haustus illius morbis in tractandis in auxilium vocata, sequentibus fit formis:

1. Forma balneorum: quae iterum sunt:

a) universalia, dum totum corpus aquae immergitur, ut omnes illius circumfluat partes. Species ejusdem sunt:

α. balneum fluviale,

β. balneum in solio usum, et

γ. immersio, dum aeger subito aquis immergitur.

b) Balnea topica, si pars quaedam tantum balneo utitur, quo:

α. semicupium

β. maniluvium,

γ. pediluvium et

δ. in sessus spectant.

Eorum sub usu vehemens oritur ex systemate nervoso peripherico exiens, brevi autem ad totum systema nervosum nec non musculare concussio translata, factore contractivo ubique praevalente reddito; post balnei usum autem ex omnium systematum vividiore reactione, nisus expansivi reviviscentis indicia oriuntur. — Indicatur haec magis continua frigoris, forma balneorum, adplicatio: in magna ac ultra normam exaltata caloris liberi extricatione, cute sicca, pargamenea; in inflammationibus topicis, ubi medici scopum est humorum affluxum ad peripheriam arcendi, refluxum accelerandi, inflammationis resolutionem promovendi, omnique alii inflammationis exitui obicem ponendi; in exaltata sensibilitate, erethismo nervoso, statu sanguinis *orgastico*; in praevalente venositate, decompositionem putridam minitante; in haemorrhagiis effrenibus, ex nimio vasorum erethismo aut rapidiori materiei decompositione progenitis et sustentis.

2. Fit aquae frigidae adplicatio: Aspersionibus, affusionibus, dum aegrotanti ex alto aqua perfunditur. Hae iterum sunt:

α) universales, dum tota corporis superficies adplicatione tali petitur. Huc pertinent:

a) Affusiones (sensu strictiore), dum aegrotus aquae larga quantitate ex cantharis emanante perfunditur.

β) Stillicidium (das Traufbad), dum ope machinae, tegumento cubilis firmatae, cribriformis, aqua imbris instar defluit.

γ. Impluvium (staub=ader Schauerbad), dum adparatus, uti a Schreider et Walz detecti, fistulis tenuissimis diversimodi positis et totum corpus circumdantibus, constanter ope, aegrotus tempore eodem magna radiorum aquae subtilissimorum copia in omni irroratur ambitu. Mitissima methodus affusiones exhibendi.

b) Topicae, si pars quaedam corporis aqua perfunditur, quo spectant:

α) Balneum stillativum, (das Tropfbad) dum singulae tantum stillae seu guttae ex alto ad partes demittuntur nudas, v. g. ad caput abrasis capillis; quae adplicationis forma tantam ciet sensationem ingratam, ut in dolorem nonnunquam intollerabilem abeat.

β) Balneum ducciae (Douche=ader Sprizbad.) dum pars quaedam, modo minore aquae radio ex cannula magis minusve angusta proprii mechanismi vi ejaculata, petitur.

Affussionum effectus ex frigoris actione, insigni systematis nervosi repercussioni nupta, compositi sunt, atque desiderantur, ubi systematis nervosi centralis sensilitas exaltata adparet, imprimis si vividiori incitationi vasorum cerebralium genesin debet, dum energia syste-

matis nervosi tum peripherici tum centralis prostrata et succumbens offenditur; si nimius torpor in systemate sanguifero, musculis vasisque lymphaticis obvenit; ubique, ubi violentissimum pro systemate nervosi stimulum in usum tracre juvat.

Affusiones topicae ab universalibus in eo differunt; quod impetu, quo aqua unam tantum ferit partem, concussio quoque mechanica provocatur, quae primarium frigoris effectum potenter suffulcit, quum omnem efficientiam vitalem impedire conatur; simulque profundius agens, partes vicinas eadem adgreditur vehementia.

3) Aquae frigidae adplicatio externa: embrocationibus frigidis (Εμρφεχο, emollio, intingo, humecto) fit, sub quibus operationem intelligimus, dum aqua ope linteorum, aut spongiae, aut vesicae corpori admovetur, quo:

α) lotiones cum spongia et

β) fomenta frigida spectant.

Effectus lotionem medium tenent balnea frigida inter et affusiones. Adplicatione earum organismus mitiori modo afficitur, systematis nervosi percussio lotiones subsequens multo blandior est, cutis functio leniter excitatur, aestus molestus paulatim imminuitur, absque omni reliquae oeconomiae animalis turba no-

tabili; — in omni morbo, quo balnea frigida indicantur, quoque lotiones frigidae in subsidium vocantur, in quo autem lenior desideratur effectus, ubi balneum denegatur, aut actio frigoris localis tantum exigitur. Effectus fomentorum cum illis balneorum topicorum coincidunt.

Dantur adhuc alii aquam frigidam adplicandi modi, ut forma gargarismatis, injectionis, clysteris, aut aqua naribus adtrahitur; quorum effectus ex supra dictis facile colligendi sunt.

In Specie PSYCHROLUSIAE INDICANTUR:

1. In pyrexiis ex mente cel. Currie: *a*) sub reali et insigni caloris augmento, thermoscopio metiendo, — *b*) sub cutis ariditate pertinaci ac imperspirabilitate; — *c*) si morbo contagium quoddam subest; — *d*) si primis morbi diebus adplicantur, et quidem in stadio primo aestus febrilis, susceptum contagium subsecuti. Primis morbi diebus morbum in ovo suffocandi spes arridet; sed etiam in morbo magis jam protracto, symptomata dira hac methodo curativa mitigantur, reconvalescentia acceleratur.

α) In febri inflammatoria sub pulsu pleno, aestu mordaci, cuti sicca, nisu expansivo ex-

cedente eo magis aquae frigidae adplicatio externa indicatur, quo luculentior cum statu sanguinis orgastico, systematis simul nervosi cerebralis incitatio in propatulum venit. — Kohlhaas et Fröhlich in synocha psychrolusias forma lotionum commendant.

β) In febribus nervosis in usum ducendae psychrolusiae, ubi remedia interna aut non sufficiunt, vel in usum trahi nequeunt; si cutis calor mordax, ipsa imperspirabilis, sitis intolerabilis, magna aegri inquietudo, jactitatio, deliria, sopor nervosam efficientiam suppressam aut vividius incitatam denotant. Et principio, quousque vires vitales realem jacturam non sunt perpessae, character nervosus vix oriens quandoque suffocatur. Licet frigoris usus continuus (forma balneorum), sub vera debilitate damnandus sit: Affusiones tamen frigidas, efficacissimum sistere remedium, millenis medicorum versatissimorum, quorum tantum: Franklin, Sarcone, M. Gregor, Jackson, Horn, Hegervisch Hecker, Greiner, Loebenstein, Loebel, Millium adduci liceat, experimentis est evictum.

γ) In febribus putridis a medicis omnis aevi, uti a Lettson, Cullen, Rust, Sarcone, Tissot, Theden, Wedekind psychrolusiae in usum vocabantur, quum aestum mordacem minuant, cohaesionem imminutam adaugeant. —

In meteorismo imprimis, aliis remediis incassum tentatis, aqua gelida abdomini inflato cum fructu admovetur.

δ) In synocho, praecipue bilioso, symptomatica affectione organorum cerebralium subinde perveniente, praesentibus congestionibus venosis, usus aquae frigidae externus pernecessarius, suadente cel. Froehlich forma affusionum optime conducit.

ε) In dialeipyris paulo ante paroxysmum imprimis anomalae, ominosae scopo confundente in usum vocantur balnea frigida: Cel. Celsus, Currie, Gianini, ab Hildenbrand eadem in hunc finem commendant. Imo in stadio aestus, si intensitate aut duratione normam excedit, sub siccitate, ardore mordaci: ad factores expansivi actionem incitatam imminuendam, adhibentur.

2) In inflammationibus illis, ubi scopus medici est, resolutioni inflammationis opitulandi, aliumque exitum praecavendi; externa frigoris adplicatione certe non habetur remedium praestantius. Utilissimus frigoris usus in principio, inflammatione adhuc intra congestionis limites versante, erit, quo in casu phlogosin imminentem non raro praepedit. — Convenit porro illis, ubi humores simul repercutiendi, effusio passiva aut suppuratio impediendae sunt; —

quod sat demum in phlogosibus organorum, in quibus sensilitas ob majorem nervorum abundantiam jamjam evecta, processu inflammatorio adhuc exaltatur.

His sub circumstantiis usus commendandus:

α) In inflammationibus traumaticis, in quibus vix ullum remedium fomentis frigidis palmam praeripiet. Similem in combustionibus sibi famam conciliavit.

β) In encephalitide fomenta frigida capiti super habenda, ab antiquissimis jamjam temporibus comprobatum sistunt remedium, quo jam Hippocrates, Celsus, Schmuker, Allion, Danther, Formey; et recentissimis temporibus Reuss, Pitschaft, Saehs aliique usi sunt. In delirio tremente ex affusionibus multum levaminis viderunt: Ramsay, Armstrong, Albers et recentissimo tempore Barkhausen (Barkhausens Beobachtungen über den Säufer wahnsina).

γ) In notomyelitide, morbo jam ad secundum stadium vergente affusiones frigidae monente cel. Saehs egregium suppeditant remedium, cui quoque inflammationibus sic dictis sensibilibus reliquis: phlogosi nervi vagi et ischiatici similem tribuit laudem.

δ) In inflammationibus topicis: ophtalmitide, glossitide, parotitide aliisque cel. Reuss aquae frigidae usum externum commendat.

ε) Praegressis sanguinis evacuationibus etiam in peripneumonia, carditide, gastritide, hepatitide, enteritide, splenitide rebellibus, sumum emersis culmen, fomenta frigida, imo glacialia, parti affectae quam proxime admota laudantur, licet in inflammationibus his mere dynamicis tantam gloriam, ut in traumaticis nequaquam sibi conciliaverint.

ζ) Quoque in inflammationibus sic dictis specificis: catarrhosis, rheumaticis, erysipelaceis, adhiberi nonnunquam potest frigus externum. Suadetur in febribus catarrhosis a Coelio Aureliano, Celso, Reuss, Kohlhaas, ast tantum in morbi exordio, eodem in stadium secundum, blennorrhoicum nondum vergente. Sic et in stadio primo ophtalmiae neonatorum usus aquae frigidae externus magnae utilitatis. In tracheitide exsudatoria primum ab Harder, demum a D. Professore Alberle affusiones frigidae cum euphonia in subsidium vocabantur, quos et cel. Sachse, Loewenhard atque cel. Bischoff secuti sunt. — In inflammatione rheumatica cel. Suter fomenta frigida, cel. Froehlich et Reuss lotiones frigidas sub cute sicca, aestu mordaci commendant, in rheumatismo inveterato, alii curandi methodo pertinaciter resistenti Hambengus et Van-Swieten balnea laudant frigida. In erysipelate substantivo, non critico, non

metastatico neque symptomatico, sub magna inflammationis intensitate, cute sicca, ardente, topica frigoris adplicatione malignae successioni: exulcerationi quippe aut gangrenae abest poni potest; ast ut frigoris usus externus salubris evadat, necesse est, ut continuo illius actio in subsidium vocetur. Celeberrimi Hahn, Reuss, Fabricius sub his tantum circumstantiis frigoris in erysipelate commendant usum. Quam cel. Ritter illis in casibus, ubi humectationem vitare consilium est (uti in erysipelate, rheumate) glaciei aut aquae frigidae in vesica reclusae commendat, adplicatio, immitationem certe meretur.

3) In exanthematibus febrilibus, contagiosis usus frigoris externus plurimos ab antiquissimis jamjam temporibus ad hodiernum usque diem invenit sectatores, atque in nulla morborum classe tam late extensus offenditur. Frigus enim contagioni optime resistere, processumque fermentationis ac vegetationis in cute, contagio quodam incitatae, in malignitate sua, qua organisationem destruere tendit, mirum in modum moderare, numerosissimis evictum habemus exemplis.

a) In variolis cel. Floger, Hahn-Wilde, Reil, Brandis, Reuss aliique sub cute sicca, ardente, maxime autem sub cerebri affectione affusiones

frigidas indicatas esse invenerunt, imo cel. Reuss in suo ipso infante, cui contagium variolosum sponte inferuit, variolarum naturalium eruptionem sic praecavit.

β) In scarlatina primus cel. Gerard, tandem autem Currie, Gregory, Kolbany, Stanger, Reid, Batemann, Armstrong, Weicard, Nasse, Harn, Marcus, Brandus, Stiegliz, de Martius, Wendt, Pfeufer, Reuss, Reich, Froehlich, Thaer affusionibus frigidis saepius, imo duodecies intra nycthemeri spatium repetitis, inflammationis vim infregerunt, exanthematis proruptionem levarunt, aegrum magis quietum reddiderunt, aequilibrium inter functiones restituerunt, pulsuum celeritatem temperarunt, functionem cutaneam suppressam resuscitarunt, desquamationem maturavere, sensibilitatem cutis auctam, exhanthemate jamjam decurso, remansam obtunderunt, imo tertia vel ad summum quarta die psychrolusiis in usum ductis reconvalescentiam brevi intrare observarunt.

γ) Licet cel. Currie in morbillis — hoc unico exanthemate febrili — methodo nostro uti cunctaretur, tamen cel. Reuss affusiones in iisdem utilissimas invenit. — Cel. Thaen atque Froehlich felicissimo eventu lotiones frigidas in auxilium vocavere.

δ) In miliariis jam Hahn ad nimium aestum moderandum lotiones commendat frigidas.

ε) In typhi contagiosi exanthematici primo stadio, in quo typhum activum induere characterem nemo medicorum amplius in dubium vocat, in quo humorum nisus magis peripheriam versus tendit, ita, ut vasa centralia illo careant stimulo sanguineo, quo capillaria in damnum reliquae oeconomiae animalis obruuntur; in quo de stimulo potenti agitur, quo humorum massa a peripheria ad centralia magis determinetur, ut tali modo systema cardiaco-arteriosum ad maiorem et aequabiliorem incitetur reactionem, motusque sanguinis, concertu harmonico, vasa maiora inter et minora restituto, liberior reddatur: nullus certe stimulus certe respondet, quam frigus sub forma lotionum aut affusionum applicatum, cujus praestantiam quoque magnorum virorum experientia. uti J. Hahn, Currie, Marschall, Magrath, Brandis, Horn, Wolfant, Hegewisch, Kolbany, Ackermann, Hall, Reil, Hufeland, Geeden, Loebenstein, Loebel, Lehman, Gremlen, Dzondi, Froehlich, Reuss, Pittschaft, ab Hildenbrand corroborat. Cel. Hildenbrand inquit: » Nil tutius est, quam frigus, eo in gradu admissum quo contagium typhicum delere, vel saltem in evolutione sua praepedire valet, quo remedio solo typhus nonnunquam in ovo soffocari valet ». — Ast non tantum in morbi

exordio, ad illum in origine opprimendum, sed etiam morbo jam adulto, sub cute sicca, urente, aestu magno (Kohlbany usque ad tertium, Ackermann ad quintum diem), ast exuberante adhucdum systematis vasorum activitate, methodum hanc in usum vocarunt medicum.

4) In haemorrhagiis tum activis, tum passivis aquae frigidae usum, diutius autem, non intermissa serie continuatum perquam proficuum esse, nemo dabit, qui perpenderit, a frigore in contractionem nisum augeri, vasorum capacitatem minui, sanguinis adfluxum autem adaugeri.

α) In haemoptisi ex vasorum contractilitate imminuta atque sanguinis vehementiore ad pulmones impetu arte et sustentata, dum periculum in mora est, fomenta frigida, pectori adplicanda a cel. Vogt (Pharmacodynamik) — atque Reil (memorabil. clin. med. pract. Hall. p. 113) laudantur. — Pneumonorrhagia ex organisationis laesionibus orta secundum cel. Richten et omnes fere aliis fomenta frigida expostulat; idem auctor insultu haemoptoico minitante praeter venaesectionem atque pediluvia tepida, pectoris lotiones frigidas commendat.

β) In haematemesi effreni: Michelotti, Burserius, Richten et Vogt fomenta frigida epigastrico adponenda esse, scriptis suis evincunt.

γ) In metrorrhagia erethistica cel. Chausier (Stanks Arch. V. B. 2 St. pag. 30) periculo minante, pediluvia frigida, aut fomenta frigida pedibus adplicanda laudat. — Cel. Richten frigus — forma fomentorum frigidorum genitalibus adponendorum — pro praestantissimo, ad uteri haemorrhagiam profusam sistendam, remedio locali habet, simulque suadet, necessitate urgente affusiones abdomini cum aqua frigida instituendas esse. In metrorrhagia sub graviditate ex vera uteri atonia orta, fomenta frigida egregium sistunt ad abortum praepediendum adminiculum. — Cel. Fabricius puellis, menstruatione profusa et dolorifica vexatis, balnea tempore aestatis commendat: atque in metrorhagia effreni, aliis adminiculis non cedente: ad ingestiones frigidas caute instituendas, et ad fomenta frigida refugiendum esse dicit, sive jam sub graviditate, sive sub partu, aut eodem jam perpesso exorta fuerit. — Balnea frigidiuscula ii fluxu catameniali molesto et dolorifico, nec non sub proclivitate ad abortum, ast extra menstruationis aut graviditatis tempus, cel. Vogt probat.

δ) In fluxu haemorrhoidali profuso, sed urgente tantum necessitate, ad frigoris adplicationem externam confugiendum, tunc autem praestantissimum remedium esse, fere unani-

miter affirmant auctores. Injiciuntur clysmata frigida, fomenta frigida orificio ani atque regioni sacrali adplicantur, insessus frigidi ordinantur. — Cel. Bell (Syst. of. Surg. Vol. II. pag. 275) intestinum ovillum parte superiore ligatum in intestinum rectum perduci, aqua frigida impleri, atque fine inferiore vinctum, sursum porrigi, suadet. — Fluxum haemorrhoidalem criticum, etsi profusum, nunquam penitus sistendum, sed tantum moderandum esse, absque difficultate colligitur. — Varices haemorrhoidales, causis fortuitis, externis procreati, remediis quoque externis, interquae suadentibus cel. Hildebrand (über die blinden Hämorrhoiden) — et Schmucker vermischte Schniften Vol. I. p. 108) clysmata frigida primum certe occupant locum, debellandi; hisce non concessis fomenta frigida et tales insessus in usum ducendi — In haemorrhoidibus vesicae secundum cel. Richten fomenta frigida genitalibus, calida autem ano adplicantur, simulque clysmata emollientia injiciantur.

ε) In haematuria tam profusa, ut indicatio urgens, profluvium cruentum sistendi, exoriatur, et fomenta frigida, genitalibus adplicanda, et haemorrhagia e vesica procedente, injectiones frigidae caute sunt instituendae.

ϛ) In epistasi larga non critica fomenta fri-

gida secundum Cel. Theden et Richten: genitalibus, capiti integro aut fronti, vel cervici adplicanda laudantur. Ad rhinorrheam praecavendam balnea frigidiuscula commendantur.

ς) In neurosibus curandis affusiones aquae frigidae primum occupant locum, quam systema nervosum tam potenter concutiant, ut vix ullus stimulus tanta efficacia sublatum aequipondium sensibilitatem inter ac incitationem restituat; cui adhuc terroris effectus percutientes, nervorum systema alterantes accedunt; ast quoque reliquae psychrolusiarum formae non negligendae; imo, ubi versilitatem excedentem compescendi, nimiam nervorum agilitatem componendi, scopus est, prioribus anteponendae.

α) In tetano jam Hippocrates Aphorism. lib. IV. Sect. V. aph. 2. et lib. V. Sect. II. aph. 21.) — et Avicenna lib. III. c. 7.) affusiones commendant frigidas, si tetanus individua robusta tempore aestatis invadit. — Recentioribus temporibus imprimis medici anglici: Wright (Lond. med. observ.) — Thom Cochrane (Med. anal. philos. Comment. Vol. III). — Bärrere (dissert. de tetano), atque inter Germanos: Walthen, Rush aliique psychrolusias cum euphonia in subsidium vocarunt. — Non minorem virtutem medicam affusionibus

cel. Sachs in cura tetani adultorum et trismi neonatorum tribuit. — Ast tantum ex affusionibus, nunquam ex balneis frigidis diutius usis salubrem emergere posse effectum, per se patet.

β) In asthmate et quidem ex plethora nato cel. Richter praegressis sanguinis depletionibus balnea frigida; — in nocturno autem, seu incubo cel. Reil lotiones capitis frigidas commendant.

γ) In cardialgia nimia, totius corporis, atque ventriculi sensibilitate, magna nervorum agilitate, tremore, lipothymiis aliisque nervorum adfectionibus comitata, fomenta frigida epigastrio et dorso adplicata, salubria inveniuntur.

δ) In epilepsia, individua, irritabilitate magna gaudentia, congestionibus versus encephalon saepius obnoxia, habitu apoplectico donata, invadente, sub paroxysmo a cel. Loebenstein Loebel (Wesen und Heilung der Epilepsiae. Leipsig 1818 p. 41) affusiones topicae, caput tantum petentes, omni 2 vel 4 minuto usque ad stadium soporosum repetitae, nec non fomenta frigida capiti adposita pro praestantissimo habentur remedio. Secundum experientiam ejusdem sperandum, paroxysmum non reversurum esse, quodsi affusione durante sensatio, an si ex alto delabatur aeger exo-

ritur, secundus tertiusve paroxysmus vehementia decrescit, stadium soporis per brevius temporis spatium indurat; quodsi insultus majoribus sese excipiunt intervallis, atque in intermissionibus aeger hilarior observatur. — Balnea frigida cel. Floyer, Pretsch, Tissot, Lentin et Marcand in usum vocarunt; ast ne diu in balneo commorentur aegrotantes monent. — Cel. Brandis (Erfahrungen über die Anwendung der Kälte pag. 115) multis jamjam specificis incassum tentatis, adolescenti cuidam epilepsia laboranti consilium, quovis die balneo fluviali uti, dedit. Hieme initiante Brandis interrogatus, quamdiu cum balneis continuandum esset: quamdiu prosunt, respondebat: Et revera, aeger ad verbum consilium interpraetans. Calendas mensis Januarii anni 1800, frigore — 21° R. hiatu in glaciem facto, balneo usus, ipse glacie lectus ex eodem egressus est; atque egregie sese exinde habens, nec unum amplius perpessus est insultum epilepticum.

ε) In chorea Sancti Viti ex manusturbatione orta, cel. Richter fomenta frigida genitalibus adponenda suadet, ex balneis frigidis tantum in reconvalescentia emolumentum exspectans. Cel. Floyer generum Doctoris Gould ballismo laborantem frigidis sanavit affusionibus.

ς) In hydrophobia ex antiquissimis jamjam

temporibus balnea frigida et immersiones meritam sibi comparavere famam. Van-Swieten (Comment. in Hm. Boërhav. Aphor. Vol. III p. 576); — Morgagni (de sedibus et caussis morborum. Batav. 1767 Epis. 8 N. 26) — atque Huzard. (Journal d. med. Ann. 1786. Tom. 67 pag. 71) plures nolui et hominum et canum jamjam saevientium sanationes immersionibus inductas tradunt. — Quoque cel. Sachs affusiones frigidas in hydrophobia in connubio cum depletione sanguinea laudat.

η) In hypochondria excedenter activitatem sphaerae vitae sensiferae sublimioris et infimae, sensorii atque nervorum periphericorum frigus externum optime componit; ast quoque sphaerae, hujus systematis nervosi sphaeras, harmoniam, iterum restituit. — Respondent in hunc finem optime balnea fluvialia, tempore aestivo in usum tracta, simulque coporis sub undis motus jungendus. — Cel. Floger Danicum navis praefectum, hypochondria miserrime adfectum immersionibus frigidis Londini penitus sanavit, variis jamjam remediis incassum in usum ductis. — Cel. Formey balnea pedetentim magis frigida, tandemque 14° R., per 10 aut 15 minutorum spatium usu, pro primario habet, in hypochondria curanda remedio. — Cel. Haase in malo hypochondriaco

lotiones commendat frigidas. — Cel. Richter ab initio curae balnea tepida commendat, sed memorat, ut quam citissime transgressus ad frigida, natandi exercitiis nupta balnea fluvialia fiat; imo torpore organorum abdominalium nimio praesente, affusiones frigidae instituantur. Ad cardiopalmum, quo hypochondriaci frequentissime versantur, placandum, fomenta frigida, pectori adplicanda laudantur.

ϑ) In hysteria balnea sensim sensimque frigidiora optime adauctam systematis nervosi agilitatem componunt, atque cel. Richter suadente unicum sistunt, ad curam radicalem inducendam, adminiculum.

ι) Praesente habitu apoplectico capitis lotiones a Juliani (de Apoplex, Comment. Brescia 1789) atque balnea frigida — capitis lotione primo nunquam neglecta — pro maximo habentur prophilactico remedio; sub insultu apoplexiae sanguineae autem fomenta frigida a Thulenio (Bemerkungen 1. Band pag. 61); Schaeffer (Uberden Sohlagfluss in Archiv für mediz. Erfahnung; 1 Bd. 1. Hft pag. 38); — et plerisque recentioris aevi medicis laudantur. — Cel. Beck in apoplexia sanguinea maxime affusiones commendat frigidas. — Quoque in apoplexia nervosa affusiones frigidas egregium sistere remedium vix in dubium vocabit, qui

virtutis illius systema nervosum valde excitantis memor est.

κ) In paralysi cel. Hahn (Unterricht etc. pag. 173) psychrolusias commendat, atque, feminam 26 annorum, pletoricam adducit, quae lochiis parca fluentibus quantitate, variis emplastris, balneis aromaticis et spirituosis inepte tractata, paraplegia exinde adfecta est, qua tres per annos diversis frustra in subsidium tractis, decubuit, usque dum tandem Hahn ad frigoris adplicationem confugiens, ab initio fomenta frigida extremitatibus inferioribus adplicari, et lotiones earum frequentius institui jussit, haec tandem cum pediluviis et ultimo cum balneis frigidis tam felici cum successu commutans, ut dimidio anno vis elapso extremitatum inferiorum motus concessus sit aegraque penitus convaluerit. — Cel. Vogt in paralysibus localibus balneum ducciae commendat.

λ) In leipothymiis adspersionem faciei, pectoris, scrobis cordis, abdominis cum aqua frigida communissimum esse adminiculum, quum repentina hac frigoris actione systema nervosum propriam experiatur concussionem et irritationem, neminem latet. — Sed quoque in plerisque laudantur medicis; et quidem in aphyxia suspensorum aut strangulatorum fomenta frigida capiti adplicantur, in asphyxia fulmine

ictorum ad suppressam systematis nervosi actionem excitandam affusiones cum aqua frigida, in asphyxia frigore rigentium ad calefactionem sensim sensimque tantum inducendam balnea gelida in subsidium vocantur. Balneum stillatitium in asphyxia neonatorum a Viemayer (Braunschweiger Magazin 1793 pag. 37) commendatur. Suadet nempe aquam frigidam stillatim ex vase apto ad regionem scrobis cordis demittere, simulque illam partem per tempus fricare.

τ) In mania inflammatoria uti in encephalide fomenta frigidi capiti super habenda; ast quoque in nervosa frigus externum juvamen egregium sistit. Mylius 41 manicos affusionibus frigidis sanavit; — cel. Reuss bis, Froelich pluries in mana psychroluasiarum implorav it subsidium.

υ) In cephalea, praecipue a symphoresi versus caput orta, a nemine fomenta frigida capiti non adponuntur.

ξ) In prosopalgia mere inflammatoria, a traumate profecta, lotiones aut fomentationes cum aqua fontis gelida a Vogel et Konsbruch commendatae, omnino proficuae esse possunt.

6) In ultra modum aucta irritabilitate et sensibilitate, atoniae nupta, et nato inde majore ad rheumatismum dispositione, balnea frigida, quam excedentem nervorum agilitatem

compescant, dermati et organismo universo robur majus impertiantur, ad proclivitatem illam exstinguendam magnas omnino ut cel. Hartman et Vogt affirmant, merentur laudes.

7) In atonia et laxitate habituali externa frigoris adplicatio, quum principio alteri, cui in adtractionem et contractionem nisus debetur, vim praevalentem conciliet, omnium fere medicorum consensu laudatur, quare et in atonia cutis et natis inde sudoribus profusis; — in blennorrhoea (suadente Hahn); — in prolapsu intestini recti, vaginae, uteri, balnea frigida frequentissime in usum vocantur. — In organorum genitalium atonia, aucta eorum irritabilitati nupta, et ortis exinde pollutionibus, a cel. Richter, Wichman, Vogt ab initio fomenta frigida, tunc autem organorum genitalium gelida, atque tempore aestatis universalia commendantur; quoque lotiones frigidae occipitis et cervicis; sexies deciesve de die institutae multis aliis remediis incassum tentatis, in adolescente, pollutionibus frequenter redeuntibus exhausto, cum fructu in usum vocabantur. (Allgemeiner Anzeiger der Deutschen 1807, pag. 619.)

8. Quum balneis frigidis vita in ambitu moderetur, hujus in penetralibus renisus augeatur, digestionis, adsimilationis et nutritionis

processus intendatur, humorum progressus acceleretur; haec quoque in scrofuloseos et rachitidis curatione remedium summae dignitatis praebent; — idem cel. Hartmann ad diathesim scrofulosam emendandam commendat; idem cel. Reimann in morbo jam evoluto, altiorem gradum adepto laudat; idem cel. Fabricius saepius cum euphonia in scrofulosi in usum vocavit. — Magis adhuc in rachitide balnea commendantur frigida. Cel. Floger dicit, rachitidem, centies balneis frigidis curavisse; — eandem efficaciam. Rosenstein, Cullen, Stark et Huxham in balneis invenerunt frigidis; — Cel. Fabricius (l. c. pag. 240) infantem rachitide laborantem nonnisi diaeta restricta atque balneis, ab initio tepidis tandem autem frigidis perfecte sanavit. — Cel. Ricter eorum usum in rachitide finibus circumscribens arctioribus, ab exordio balnea tepida, et nonnisi processu vitali multum jam evecto, ad tonum partibus laxis addendum, ad balnea frigida transeundum esse suadet.

9. Balnea frigida, vitae in penetralibus renisum intendentia, resorptionem et orinae fluxum adaugentia, pro magno quoque in hydrope curando remedio habentur. — Cel. Hahn (Unterricht etc. pag. 173) lotiones frigidas taliaque balnea in ascite bis cum emolumento in

subsidium vocavit. — P. Frank (de curand. hom. morb epitom. lib. VI. pag. 386) in hydrope gravi balneum frigidum urinae fluxum valde adauxisse, malumque peritus profligasse narrat. — Ast tantum in hydrope torpido, laxitate et atonia systematis lymphatici totius incedente, remedium nostrum in auxilium vocari posse, ut omnes hortantur Auctores, quisque statim perspicit. — In hydrocephali acuti stadio inflammatorio; et illo exsudationis: Schmucker (vermischte chirurg. Vol. III. pag. 171); — Reuss (Hufel. Jour. Suppl. B. 1823. pag. 77); Pitschaft (Huf. Journ. Suppl. B. 1823 pag. 175), et plerique aevi recentissimi medici, fomenta frigida comprobatum censent remedium. Qua prophylacticum in dispositis affusiones frigidas saepius instituendas salubres invenit cel. Sachse (Huf. Jour. Bd. LX. St. V. pag. 75).

10. In tympanitide jam Hippocrates affusiones abdominis frigidas saepius repetitas commendat. — P. Frank (epitom. d. curand. hom. morb. Tom. VII. pag. 118); — et Hafniens (Volum. I. pag. 120) in pneumatosi fomenta frigida abdomini adplicanda atque clysmata frigida injicienda esse suadent. — Eodem quoque Richter. Cel. Consil. Bischoff aliique auctores cum fructa tentarunt. — Et revera fri-

gus externum factorem contractivum praevalentem reddens, hinc quoque intestina ad contractionem sollicitans, non parum ad aerem uberius exclusum in organismi penetralibus excitans, digestionem expediens, ulteriorem aeris arcet exclusionem.

11. In efflorescentiis cutaneis chronicis. Ballonius (Lib. I. pag. 106) dicit » Miror, cur in herpetibus et inflammationibus, in quibus humectandi et refrigerandi consilium est, non potius ad aquam accedamus? » — Lotiones corporis et balnea, imprimis frigida, praestantissimum sistere prophylacticum nosmet ab impetiginibus tutos servandos, nemo adhuc medicorum in dubium vocavit; quum nimiam cutis sensilitatem complacent, omnem ejusdem functionem expediant, atque eidem robor addant. — Sed quoque scopo therapeutico adminicula sunt nequaquam spernenda; quum indolem cutis peccanter emendari non vilis sit indicationis pars, vix alio remedio melius praestanda. — Licet non desint observationes, ex suppressione impetiginum frigore inducta dirississima, imo ominosa mala fuisse inducta, atque cum psychrolusiis caute esse mercandum: tamen ubi morbus localis magis est et reliquus organismus minus participat, vel ubi pertinaciter reliquis resistens remediis vitae letha-

lis evadere minatur, ad nostrum confugiamus remedium, forma affusionum optime in usum vocandum, quum experientia genuina evictum habemus, idem pertinacissimas jamjam impetigines sanasse. — Efflorescentia cutanea profligata balneis frigidis tonum cutis deperditum optime restitui posse, nulli prorsus subjacet controversiae.

12. In arthritide quidem jam Hippocrates (aphor. 21-23) aqua frigida dolores sopire at que tumorem discutire tentavit; multa omnino exempla servata habemus, in quibus dolores arthritici aqua frigida placati, inflammationes tales resolutae sunt; — Laubet, pediluvio non tantum quietem cito induxit, sed quoque sudorem largum criticum, insultum judicantem prolicuit; — Trallianus, Savonarola, Cocchi, Hahn idem cum utilitate in usum vocarunt remedium; — tamen lubenter sub insultu arthritidis regularis a frigoris obstinemus adplicatione locali, arthritidis regressae sequelis non raro lethalibus, audacem hunc adplicationem non raro subsequentibus, deterriti; et nonnisi doloribus vehementissimis urgentibus, eandem cauta experimur manu. — Extra insultum autem lotiones et balnea frigida egregium esse adminiculum, insultuum vehementiam refraenari, cum cel. Grant omnes confirmant medici.

13. In vomitu chronico, sed tantum illo, qui excedenti ventriculi sensibilitati originem debet, fomenta frigida, epigastrio adplicata levamen ferunt. — Latius jam in ileo frigoris externus usus extenditur. — Whytt (sämmtlich. zur prakt. Anznei Kunde gehörige Schriften, Leipz. 1771 pag. 501). affusiones extremitatum infeiiorum gelidas; — Fred Hoffmann (Med. nat. syst. Tom. IV. P. II. pag. 335); — et Kite (London medic. Journ. Vol. VIII.) fomenta frigida abdomnini et extremitatibus inferioribus adplicanda, laudant, — Sterverson, balnea frigida cum emolumento in subsidium vocavit, quorum usum salubrem in ileo curando et Brandis expertus est.

14. In cholera epidemica primus cel. Brandis (Liber epidem. und ansteckende Fieben. Kopenhagen 1831) in Europa frigus commendavit. In Persia autem quisque, primis cholerae symptomatibus sese anuntiantibus frigida iterum iterumque affusus est aqua. Celeberrimi Julius Gaspar, Meyer, Lichtenstedt, Romberg, Rust, Hufeland, Müller, Günther, Sinogowitz, Wolf, emolumentum ex tali tractamine enasci, frequentissime observare. Affusiones universales in cholera, sub D. Prof. Krombholy, in usum ductae, eadem Pragae epidemice grassante. Felicissimo in casu jam primam ejus

administrationem sudor excepit universalis. Effectibus desideratis non ingressis, post 2 vel 5 horarum intervallum easdem repetitas. In forma cholerae spasticae et sub respiratione difficili ac sublimi psychrolusias indicatas esse inventum fuit

15. In ischuria et enuresi paralyticis a medicis: fomenta frigida genitalibus adplicanda, pediluvia frigida, balneum stillatitium imo balneum ducciae commendantur. Gerson et Julius (Magazin etc. B. VIII) narrant: virum, facultate mingendi penitus sublata et nephralgia vexatum, vomitu et singultu jamjam exortis: in cubili, cujus solum frigida irrigatum fuit aqua, nudis obambulasse pedibus, sibique regionem lumbalem linteis verberari madefactis jussisse, — et dimidia hora elapsa nixus urinam mittendi sese insinuavit, aeger penitus convaluit.

16. Quoque in diabete cel. Michelotti balnea frigida in usum duxit, iisque puellam diabete laborantem, quavis die 130 libras urinae mittentem, sanavit.

Usum aquae frigidae externum forma balneorum aut affusionum imprimis vetant.

1. Summa atque universalis debilitas. Stimulo enim hoc negativo, quae restant adhuc principia biotica exhauriuntur, et mors acceleratur. Hinc quoque et in aetate infantili, et in senili caute iiscum mercandum. — Sanctorius dicit: » Lavacra frigida corpora robusta calefaciunt, debilia refrigerant ».

1. In febribus sub stadio frigoris a frigidis abstinendum balneis, ne principio negativo (contractivo) ad summum intenso majore adhuc in oeconomia animali excitentur turbae.

3. Stadium criseos quoque aquae frigidae vetat adplicationem externam, quum moliminibus naturae benignae hoc modo facile turbatis, magnum enasci posset organismo detrimentum.

4. Plethora vera praesente balneis et affusionibus frigidis parcemus, ne ex sanguine interiora versus pulso, eoque in penetralibus nimis acumulato, organa nimia ejusdem mole abruantur.

5. In excedente sanguinis in coagulum nisu, plasticitate ejus ultra normam evecta, edocti,

statum hunc frigore adaugeri, ab adplicatione ejus abhorremus.

6. Organorum internorum debilitas magna quaecumque frigoris externi usum interdicit, quum, sanguine majore impetu versus eodem pulso, ipsa minorem abvertant resistentiam, et facile succumbant.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

1. Auscultatio ad diagnosim pectoris morborum interdum summe necessaria.
2. Entozoa hominum prouti et reliquorum animalium per generationem aequivocam nascuntur.
3. In syphilide mercurius remedium ne specificum?
4. Dolor est beneficium naturae.
5. Bona diagnosis aegro, prognosis medico conducit.
6. An reapse remedia abortiva existant?
7. Sine china, opio, et mercurio nollem esse medicus.

   P. Frank.
8. Aphorismus Hannemanni, *similia curantur similibus* est eliminandus.
9. Menstruatio etiam Crisis.